

Scoticum, in Catalogis eo nomine designata reperitur. Quod autem alumni proprijs aut communibus alantur sumptibus, nihil videtur interesse, quia ratione huius discriminis, neque plus, neque minus, ad Societatem spectant. Et ut Collegia non sint, iuxta morem loquendi Societatis, sub generali illo locorum Societatis nomine comprehensa: sic enim in Catalogis Societatis tamquam illius propria proponuntur: & ut alia dicantur duo sunt tituli sufficientes, habitationis scilicet, & gubernationis. Domus enim, quam quis inhabitat, dici illius solet, quamvis reuera illius non habeat proprietatem, & ita dici solitum: eo in domum Episcopi, Canonici, Senatoris, Aduocati, Medici, Mercatoris, &c. absque respectu aliquo ad dominium, ob solam habitationem. Accedente autem gubernationis titulo, id verius pronuntiat: quia administratio genus quoddam videtur esse domini, cum supra habitationis usum addat aliquid, quod esse proprium solet dominorum. Et ita videtur tenere P. Suarez citato num. 16. vbi ait privilegium, de quo dictum numer. 360. esse vtilissimum pro Scholasticis, qui intra Collegia Societatis possunt admitti, ut habetur Parte 4. Constitut. Cap. 3. num. 3. in declarat. L. B. & Cap. 9. L. A. Inspectis autem ijs, quæ circa illos dicuntur, idem quod in Seminarijs ferè occurrit: debent enim diuersam ab alijs habere habitationem: & Scholastici nostri nequeunt cum ipsis liberè conuersari: & tamen illis applicari privilegium potest, etiam si quandoque suis alantur sumptibus, ut ibidem dicitur. Ergo & dici idem de Seminarijs magis distinctis potest, pro quibus eadem ratio occurrit, & fortè maior, quia specialis eorum gubernatio non iam quasi per accidens, & incidenter, sed omnino per se congruit, quandoquidem pro ipsis diuersis Superiores, & administri alij designantur. Et ita R. P. Mucius Vitelleschus declarauit Ecclesias Seminariorum etiam esse dicendas Ecclesias Societatis ad effectum lucrandi in illis Iubilæum Generalis Communionis, in quo visitatio Ecclesie Societatis præscribitur, ut affirmat P. Quintana supra, Singulari 5. num. 2. Vnde & idem de Viatico dicendum: licet vtrumque neget Cardinal. Lugo in Responsis Moral. Lib. 4. Dub. 33.

P. Suarez ut fauent.

Ecclesie Societatis qua dicantur.

Specialis difficultas circa periculum in Seminario uespertino tempore, non asseruato ibidem Sacramento.

356 Sed quid faciendum, si contingat alumnus aliquem in vira discrimen adduci vespertino tempore, cum in Seminario non sit asseruatum Sacramento? Vbi quod ad Extremam vnctionem attinet, parum circa hoc difficultatis inuoluit, cum possit Oleum sanctum ex Collegio Societatis adduci omnino occultè. Circa Eucharistiam verò omnino cauendum est ne publicè deferatur: id enim non licere per privilegia affirmat P. Suarez supra, Cap. 3. num. 12. qui aliquod in eo præiudicium esse Parochorum existimat, quatenus modus ille deferendi ad proprium eorumus spectat, ob specialem solemnitatem in delatione huiusmodi requisitam. Occulta autem delatio non apparet decens, ob reuerentiam altissimo debitam Sacramento. Si autem à Parocho ut id officij præstet postuletur, ex eo enervari videtur privilegium, & ius in Parochis recognosci: vnde ad alios casus fieri argumentum poterit, & plus illi sibi, quam sit debitum, vsur-

pare. In quo difficultatum conflictu videtur dicendum tamquam verosimile Eucharistiam posse occultè deferri, id firmando ex eo quod habet P. Quintana. Singulari 33. citato num. 5. Religiosos scilicet respectu eorum, quibus conferre Sacramenta possunt virtute privilegiorum, quoad effectum dictum Parochos eorum constitui. Sicut ergo Parochus, quando publicè deferre Eucharistiam nequit, occultè id præstare potest, etiam sine lumine, si commodè nequeat afferri, pro quo videndus idem Tomo 1. Tractat. 4. Singulari 8. Nec tenetur ad Parochum alium proximiorum recurrere, qui cum maiori deferre decenti possit: quia pro obligatione tali ius extat nullum, & ipse habet plenum ius administrationis, quando in eà non deprehenditur indecentia positiua. Quod autem defectus reuerentiæ sit ab alijs exhibendæ, obligationem semper non inducit. Vnde Sacerdos, qui peractâ Missâ, quando moraliter est certum Sacramentum intra pectus haberi, coram alijs se sistit, ignorantibus eum Missam tunc temporis absoluisse, ex eo grauius non peccat: immò fortè nec venialiter, quia pro eo esse causa rationabilis potest: & tamen illud eà reuerentiâ priuat, quæ eidem sic clauso, sicut manifesto debetur. Ad hunc equidem modum in Religiosis dicendam præfato gaudentibus privilegio, qui deferre Eucharistiam possunt in bursâ collo appensâ, aut certè in vasculo decentissimo ad latus pectoris intra vestem: si enim in manibus, vix fieri decenter poterit, cum illis sit ad continentiam vestem vsurus, & ad signa vrbaniarum: si verò noctu, in manibus deferri poterit, & lumen pariter adhiberi: quia cum aliàs illud portari à Religiosis soleat, decentiâ potius, quam necessitatis gratiâ, non poterunt illud videntes id, quod casus habet, suspicari.

Posse deferri occultè.

Quo id modo decenti fieri possit.

In Seminarijs Indorū id maximum locum habere.

357 Et hæc quidem generaliter dicta Indorum Collegijs possunt specialiter applicari, in quibus peculiare occurrit rationes. Prima, Parochos circa administrationem dictam inuitos non haberi, iuxta dicta num. 221. Secunda, cum Collegia ista ex fine conuersionis Indorum, & extirpandæ penitus Idololatriæ ac superstitionis instituta sint, quæ de locis Societatis dicuntur, & generaliter quæ in privilegijs habentur, amplissimè interpretanda esse, ut læpius dictum. Tertia, opportuniùs, faciliùs, & accommodatiùs ad eorum ingenium, hoc pacto fieri, dum à suis Patribus instruuntur, ut alia omitam considerationi prudentum remittenda.

358 Illud tandem adiciendum, quod Fr. Ioannes Baptista in Animaduersionibus pro Confessarijs Indorum habet Parte 2. in Indico. Verb. *Extrema vnctio*, ita enim ibi: *Circa partes Oleo sancto vnguentas, est aduertendum, quod Manuale Mexicanum præcipit mulieribus in umbilico vnctionem fieri; viris autem in lumbis*, his verbis: *Ponga el olio al hombre en los homos, y à la mager en el ombiligo*. Sic ille, adducens statim Manuale aliud præcipiens tam in viris quam in feminis vngendos lumbos, *veluti voluptatis & libidinis sedes*. Circa quod ille nihil statuit; vnde vtrumque videtur tamquam prauum conueniens approbare. Pro quo etiam ita scribit P. Henriquez Lib. 3. Cap. 12. num. 3. *Vnctio sexta renum, cum non sit de essentia, non adhibetur Monachis, aut Monialibus propter honestatem*:

Circa partes in feminis vngendas ab iuris reprobata sententia.

Fr. Ioan. Baptista.

tem: *seculares autem semina vngi solent propè umbilicum*. Sic ille.

Sec certe nihil tale respectu feminarum admittendum: & propter huiusmodi abusus extirpandos, & indecentias submouendas, Paulus V. Rituale diligenter & sapienter concinnatum studuit promulgari. In eo ergo iuxta communem Theologorum sententiam, pro qua aliquos adducit Bonacina Tomo 1. Disput. 7. Quest. vnica. Puncto 5. num. 18. & videri etiam potest P. Martinon Tomo 5. Disput. 65. num. 17. & Auctores alij apud P. Palaum Tomo 4. Tract. 26. Puncto 3. num. 3. Vnctionem lumborum in feminis non solum vti non necessariam, remouendam duxit, sed vti parum honestati congruentem, ut clarè significat, dum omittendam dicit *Propter honestatem*. Quis autem non videat umbilici vnctionem magis honestati repugnare? & ita de vtraque pariter idem statuit Bonacina supra citato num. 18. Quod ex generali alia cautione ibidem appositâ manifestè colligitur, dum decernitur quod cum vnâ membrum vngi nequit, vnctio in altero nequaquam fiat, nisi fortè illud deficiat: tunc enim in proximiori illius est parte facienda. Quæ fuit sententia Diui Thomæ in 4. dub. 23. quest. 3. artic. 3. & multorum, qui cum secuti apud Bonaciam num. 16. quod etiam in viris lumborum vnctio omittenda sit, quando illi commodè moueri nequeunt, citato loco Ritualis aduertitur, quod ex cõmuni etiam est Theologorum doctrinâ desumptum.

Ex Rituali Romano Pauli Quinti. Vbi quæ partes generatim vngendæ.

Effectus Sacramenti an vnctio ob vnctionis prædictâ defectum.

Variâ sententia circa Sacramenti huius effectum quando quis vnctio conferatur.

369 An verò ob talis vnctionis defectum minor sit effectus Sacramenti, dubitari potest: ex eo enim aliquid in ordine ad praxim potest deduci, de quo statim. Et non esse, ex eorum sententia habetur, qui dicunt Sacramentum hoc priori perfici prius vnctione, alias autem ex Ecclesie consuetudine adhiberi. Sic Molfesius Tract. 4. Cap. 3. num. 29. P. Becanus de Sacramentis Cap. 25. Quest. 7. numer. 6. Vniuersitas Louaniensis vt testatur P. Coninck Disputat. 19. num. 9. & alij: quamvis P. Suarez Tomo 4. in 3. p. Disputat. 41. Sect. 2. num. 3. dicat nullum pro ea extare Auctorem, quem ipse sciat. Et esse probabilem iudicant Syluius in Additionibus ad 3. p. quest. 32. artic. 6. s. Quaritur secundò P. Amicus Tomo 8. Disput. 19. num. 73. vbi pro ea adducit P. Becanum, non citato loco. Est autem Tractatu de Sacramentis. Cap. 27. Quest. 7. n. 6. & 7. Ipse autem P. Amicus relatis opinionibus nihil determinat. Et Diana Parte 3. Tractatu 4. Resolut. 179. & Parte 8. Tractatu 1. Resolut. 21. s. Probatur Tertiò. Item ex aliorum opinione, qui existimant quinque vnctiones tantum ad essentiam Sacramenti huius pertinere, quæ in organis sunt quinque sensuum faciendæ, in quarum vltima secum habet effectum, virtute illius, & aliarum precedentium. Sic P. Suarez supra n. 13. & alij, quos adducunt & sequuntur Bonacina supra Puncto 6. Diana loco priori citato. Bassæus Verb. *Extrema Vnctio* 3. num. 2. & 3. P. Galpar Hurtadus Tractatu de Extrema Vnctione, Difficuli. 6. P. Coninck supra num. 12. & 21. P. Palaus supra Puncto 5. num. 13. P. Martinon supra n. 29. P. Valentia Disputat. 8. Quest. 2. Puncto 2. Verb. *Effectus*, Tomo 4. P. Dicastillus Tract. 7. num. 49. & 115. P. Maratus Tractatu de Extrema Vnctio-

ne Disput. 3. P. Granadus Tomo 2. in 3. Par. pag. 1347. numer. 20. P. Lessius de Sacramento Vnctionis, num. 23. vt alios omittam. Præterea, ex aliorum placito, qui licet censent qualibet Vnctione conferri gratiam sanctificantem, quia est sufficiens materia & forma effectum gratiæ significans, id tamen ad Vnctiones quinque restringunt, ita vt per alias Sacramenti effectus nequam conferatur. Sic aliqui apud P. Coninck supra num. 9. Ex iis autem quæ idem habet num. 10. s. *Dices, illicitum est*, media alia sententia colligitur, dari scilicet gratiam sanctificantem per primam Vnctionem, quæcumque illa sit, per alias autem quinque sensuum effectum partialem Sacramenti, qui distinctus ab illâ est, remissionem inquam, seu ablationem reliquiarum peccatorum, quæ possunt per partes auferri.

Sententia aliorum.

360 Sed sunt insuper qui per omnes septem Vnctiones, aut earum quamlibet, si seorsim adhibeantur, gratiam sanctificantem conferri dicunt. Sic aliqui apud citatos, qui dum per quamlibet Vnctionem effectum Sacramenti, & partialem gratiam conferri asserunt, inter illas non distinguunt, quorum & ratio id probat, quod scilicet in qualibet Vnctione materia & forma consimilis adhibeatur. Propter quam Sotus in 4. dist. 23. quest. 2. artic. vlt. censet omnes septem vnctiones ad essentiam Sacramenti pertinere, & per omnes pariter conferri gratiam, quando re ipsa fiunt, & intentio Ministri est tali adæquatæ actioni conformis. Licet sentiat gratiam tantum dari in vltima: pro quo etiam D. Thomas, & Doctores alij citantur, & amplectitur P. Henriquez supra num. 3. Per singulas autem septem dari tenet P. Bauny Tomo 1. Tract. vlt. Quest. 2. & alij, vt dixi, de eisdem sine discrimine affirmantes. Pro quo & videtur esse Concilium Florentinum in Decreto s. *Quintum Sacramentum*, vbi pro materia huius Sacramenti septem vnctiones proponit, cum correspondentibus formis: ergo per omnes gratia Sacramenti conferitur: hæc enim ratione materias & formas alias Sacramentorum ibidem traditas, vt veras & proprias recognoscimus: sin minus, doctrina Concilij tunc maximè necessaria pro vnione Ecclesie, diminuta & incerta fuisset. Et quidem cum materia eadem sit, forma item illi proportionata omnino similis, ritus collationis idem, incredibile apparet adeò latam differentiam intercedere, vt in quibusdam ratio Sacramenti sit, & in alijs merus ceremonialis ritus inueniatur. Cum præsertim partes illæ, quas Concilium inungendas determinat, non minus quam aliæ possint esse instrumenta peccandi, & frequentissimè sint *arma iniquitatis* ad peccandum, vt Apostolus loquitur. Ex eo autem quod necessariæ tales vnctiones non sint, non sequitur sufficientem materiam esse non posse: sicut panis fermentatus non est materia necessaria, & tamen sufficiens est pro Sacramento Eucharistiæ: & peccata venialia, ac mortalia iam confessa, pro Sacramento Pœnitentiæ, eo modo quo peccata materia esse dicuntur. Pro quo etiam facit id, quod ait P. Henriquez supra num. 2. vnctionem in manibus minus necessariam esse, & tamen negabit nullus materiam esse sufficientem.

Ratio cur omnes septem vnctiones Sacramenta les pariter videantur.

Neque ob stare necessarias non esse.



rem. Quod autem si sufficiens materia essent, non deberint ab Ecclesia prohiberi, vel ut non necessaria proponi, ex quo arguunt aliqui, quia non possunt rationabiliter fideles beneficio Sacramentalis gratia priuari, quo a Christo liberaliter sunt donati: id certe nullatenus videtur vigere, quia stante ratione conuenientia, id non videtur repugnare.

361 Et pro ampliori rei huius declaratione, id quod ab Ecclesia de Communionis sub vna specie statutum est, exacte suffragatur. Per vtramque enim speciem maiorem gratiam conferri multi & graues Scriptores tenent, vt videri potest apud P. Martinon, qui eorum agmen adducit Tomo 4. Disput. 34. num. 20. & nihilominus ob conuenientiam in tali prohibitione repertam, ob inconuenientiam vltis alterius, id sancte & prudenter potuit generali precepto stabiliri. Vnde & Doctores qui affirmant sub vtraque specie communicantibus non plus gratia tribui, nisi maior dispositio accedat, fatentur prohibitionem fore legitimam, etiam si gratia maior conferretur, vt videri potest apud P. Suarium Tomo 3. in 3. p. Disput. 71. Sect. 3. Dispo. 2. circa finem. P. Coninckium Quast. 80. num. 127. ad Secundum, & alios. Nihil ergo mirum, si circa Extremam Vnctionem aliquid tale fuerit ab Ecclesia constitutum. Quamuis de eo preceptum non extare, ex eo potest colligi, quod si alicubi, maxime in Rituali Pauli. V. quod tamen non obligare sub precepto ex eo aliqui colligunt, quod in eo Pontifex exhortando potius, quam precipiendo loquatur. Nihilominus ex eo deduci efficacissime potest vnctionem renum non esse de necessitate Sacramenti: quia licet Pontifex tantum hortando procedat, cum tamen doctrina illa generalis pro Ecclesia sit, errare in illa Pontifex nequit, vt non necessarium proponens id, quod reuera necessarium est.

Prohiberi aliquas ab Ecclesia potuisse exemplo communionis sub vtraque specie.

De eo non extare in Rituali preceptum videri quibuslibet.

Vnde non esse necessarium deduci potuerit.

Aliquando nullam in decemiam in illis reperitur.

mento ministrandum voluisse. Et quia circa pedes tale aliquid potest accedere, quod scilicet dis-cooperiri sine periculo aliquo nequeant, ideo de illis similiter iudicatum; non ita de aliis, quae in propatulo sunt, caput scilicet, & manuum aliqua.

363 Iuxta hac ergo id in ordine ad praxim deducendum, pro quo, vt admonui. num. 359. disquisitio ista processit in viris scilicet nullam esse vnctionem omittendam, quod Rituale Pauli V. ita decernit, quando id commodè fieri potest. Quod intelligendum etiam si Monachi sint: non obstante eo, quod ex P. Henriquez num. 358. eiusdem verbis est positum. Cum enim valde probabile sit gratiam sanctificantem & Sacramentalem etiam specialem qualibet vnctione conferri, non debet infirmus in eo tanta necessitatis articulo huiusmodi subsidio fraudari. Vt autem commodè ad receptionem possit aptari, non est status periculi in talibus commotionibus expectandus, sed opportunè occurrendum. Licet autem aliquas defatigatio infirmo sit ex motione futura, ad eam est suauiter excitandus ob fructus magnitudinem: maiores enim a medicis pati grauitates solent, nullo frequenter salutis compendio: Vt valeant ergo animo quidquam tolerare negabunt?

In Praxi quid tenendum.

Specialis casus. Et utilis in eius resolutione doctrina.

364 Q Via in Indiis accidit, licet non ad Indias tantum spectet, & his ferme diebus, illius discussionem inuadit hoc loco, neque inutilem, vt reor, atextere. Cum moribundum Religiosus Sacerdos inungeret, in quarta vnctione locutionem omisit, tantum dicens, Quidquid per gustum deliquisti. Et dubitatum quid fieri oporteret, nihil tamen factum, sed exremonia illa sacra more solito consummata. Et vt ita fieret, in primis ratio esse potuit, quod iuxta sententiam grauium Scriptorum de qua n. 359. primam vnctione Sacramentum quoad omnia essentialia perficitur. Item, quia secundum aliam sententiam, de qua num. 360. per quamlibet vnctionem specialis gratia confertur, vnde vna earum aliqua deficiente, non ideo infirmus Sacramenti defraudatur effectu. Quod si dicatur defraudari partiali illa gratia respondente quartae vnctioni, id non debet esse causa vt illa seorsum perficiatur, quia iam extra suum locum est, neque moraliter continuatur cum aliis, & ita non videtur conueniens vnctionis iteratio: gratia autem illius defectus, cum praeter intentionem Ministri fuerit, casui tribuendus est, & alia ratione supplendus: si tamen ad supplementum vrgens obligatio est, quod potest non sine fundamento negari, quia iactura illa inculpabilis fuit, vel si culpa aliqua interuenit, ea fuit profecto leuissima, ob inaduerentiam inquam, aut perturbationem, quae in rebus huius non raro solet admitti.

In vnctione 4. omisso locutionis an sit in causa iterandi illam. Et quae ostendunt non esse.

365 Potest etiam pro eodem esse fundamentum aliud, ex valore scilicet vnctionis praedictae, etiam locutionis non adhibita mentione. Nam additio ad valorem non videtur necessaria: iuxta

Vnctionem fuisse validam vnde probari potest.

iuxta probabilem enim multorum sententiam, de qua numer. 359. Vnctiones tantum quinque necessariae sunt, quatenus in organis quinque sensuum fiunt, eo quod inde omnium sit peccatorum origo, quia nihil in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: atqui locutio non est actus sensationis, vt constat: ergo licet in vnctione exprimi soleat, non erit substantialis defectus expressionis. Tum etiam quia in vnctione membri non est necessarium exprimi omnes illius actus, sed praecipuum: quemadmodum etiam si exprimat locutio, non est necessarium exprimi silentium, per quod multoties graua peccata committantur. Pro quo etiam facit illorum sententia, qui affirmant non esse necessarium exprimi sensum, in cuius organo sit vnctio: & ita dictiones illae Per visum, Per auditum &c. de substantia non esse; quia determinationem effectus non est necessarium indicari: Deus enim non dat veniam dimidiatam, ita vt in prima vnctione remittantur peccata commissa per visum, & sic de aliis: sed mortalia omnia simul remittuntur, etiam illa, quae per sensum commissa non sunt, sed per actus merè internos. Immo nec determinatio partium necessaria videtur, aut quod vnctio in illis fiat: quandoquidem si quis careret aliquibus earum, vt manu, vel pede, nequiret alioqui valide istud suscipere Sacramentum. Et etiam si sit de Sacramenti essentia vt vnctio in partibus determinatis fiat; non tamen est earum expressio: quemadmodum licet vnctio in fronte dicatur esse de essentia Confirmationis, id tamen in illius forma non declaratur. Et ita tenet P. Reginaldus Tomo 2. Lib. 28. Cap. 9. num. 56. Hermes Christianus, & Petrus a S. Ioseph, apud Dianam Parte 9. Tracl. 7. Resolut. 56. vbi cum P. Praeposito sententiam dictam non esse improbabilem affirmat. Quod & firmat Parte 10. Tracl. 12. Resolut. 32.

Non esse necessarium exprimi sensum, in quo sit vnctio, sententia quorundam.

Sicut nec partem, in qua sit illa.

Iterandam vnctionem verosimilius.

Tacobi 3. v. 6. & 7.

Si Sacerdos non perfectus vnctiones, posse alium. Et vnam vnctionem aliam non supponere. Vnde arguitur.

P. Sa. & Bonacina docet P. Palaus supra Puncto 3. in fine. Quod autem discontinuatio aliqua non obstat, ex praedicta doctrina colligitur: nam si deficiente vno Sacerdote, alius prosequi potest, quod peculiare esse in hoc Sacramento aduertit P. Henriquez Lib. 3. Cap. 12. num. 4. pro quo & P. Palaus supra numer. 8. & P. Bauny Tracl. vlt. citato Quast. 2. §. Quantum: dum alius vocatur, qui ministerium impleat, discontinuatio est necessaria futura. Quod ex doctrina alia deduci etiam potest, iuxta quam si infirmus ante quintam vnctionem an sit mortuus dubitetur, ad illam & alias procedendum: si autem mortuus putabatur ob paroxysmum, & postea signa vitae ostendat, adiicienda, quae defuerant, vnctiones. Sic P. Henriquez citato numer. 4. In quo euentu discontinuatio est manifesta.

Sicut ex doctrina alia notanda, circa discontinuationem.

367 Neque obstat probabile esse id, quod pro contraria parte adduximus, pro qua etiam militat ea, quae Diana congerit Parte 8. Tracl. 1. Resolut. 21. ad fundandam sententiam illius probabilitatem, quae contendit vnicam vnctionem hoc posse perfici Sacramentum. Et Parte 10. Tracl. 12. Resolut. 31. vbi & cum P. Pellizzario tenet non repetendum Sacramentum, sed supplendam vnctionem quae defuit, si non multum temporis intercessit, casu necessitatis excepto. Et in ordine ad casum nostrum addo, etiam si quinque, aut plures necessariae sint, in quarta sufficere expressionem gustus ex variis Ritualibus ab eodem adductis, in quibus cum gustus mentio fiat, non tamen locutionis. Vnde & P. Martinon supra n. 23. censet quod sine repetitione illarum vocum. Per hanc sanctam vnctionem, constaret Sacramentum, si quis vnctiones quinque sensuum celeriter perficeret sub hac forma: Per istam Sanctam Vnctionem, & suam piissimam misericordiam, dimitte tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum. Non inquam, obstat, quia probabilitate illa non obstante, res dubia persistit, & contra charitatem est sine vrgenti causa dubium reddere effectum Sacramenti; & sic recipientem ingenti iacturae bonorum spiritualium exponi. Pro quo videnda quae adducit Diana Parte 8. Resolutione illa 21. circa finem. Quod equidem in casu, de quo loquimur, videtur specialiter vrgere, quia recipiens in periculosissimo versatur articulo, & subsidiis eget potentissimis, qualia Christus Sacramentorum institutione prouidit. Claudio, aduertens in defectus praedicti supplemento sic dicendum: Quidquid per locutionem deliquisti: de gustu nihil addendo, quia pro eo sufficiens forma praecessit. Licet enim vt vna tantum proponatur pro vtroque, virtute tamen est duplex, & re ipsa diuisibilis. Pro quibus hac satis.

Non obstat pro probabilitate sententiae apposite, pro qua adducuntur.

Quia contra charitatem delinquitur.

Obseruatio ad praxim.

CAPVT XIII.

De Privilegiis Indorum circa Sacramentum Ordinis.

368 Nullum equidem pro illis extat, neque necessarium fuit: quia cum illorum capacitas pro ministerio tanto hucusque sufficiens visa non fuerit, & ipsum ministerium in Hispanorum oculis tali promotione

Indis nullum circa Ordines privilegium, & quare.